



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**F. Ioannis Andreae Copensteinii, Ordinis Prædicatorum  
Theologi & Parochi Heidelbergæ Castigatio Apologiæ  
Calvino-Catecheticæ**

**Coppenstein, Johann Andreas**

**Moguntiaë, 1626**

An ergo peccata omnia fiant temerè, casu, atque fortuitò: & non Consilio,  
ac Voluntate Dei?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35247**

non quidem ipsa formaliter & effectiue; sed eorum acerba recordatio occasionaliter, ceu stimulus pœnitentiæ. 3. Deinde; quia Calvinismus latet sub hoc, Deus immittit mala; ego rectè inferui exclusiunculam hanc, prater peccata, quæ nunquam inmittit DEVS.

AD IV. Nescio quo pruritu gestit Minister, affectatque me, & sæpe Bellarminum suis Calvinismi laqueis irretire; at frustra iacit rete ante oculos Pennatorum Retiarius Sophista. I. Ego verò sic in DEO acquiesco, vt non dubitem, in spe scil. Christiana; non in Fide speciali Luthero-caluiniana; quin prouisurus sit MIHI. &c. Similiter Applicationem gratiæ Dei facio, doceoque in particulari cum spe in fide; sed non sine metu mei: quo excludo damnoque fidem specialem, & eam solam. Dixi; lycophantam agi; non Sophistam, aut sophisticum; qui videri laboras in duabus tuis hic ratiocinatiunculis puerilibus. Pudeat te tui: pro te erubescio propter te; nec me tamen pœnitet tui.

### AD QVÆST. XXVII.

#### Quid est prouidentia DEI?

CATECHESIS Calviniana vniuersè concludit: Omnia non temerè aut fortuito; sed paterno DEI consilio & voluntate contingunt. Ego ad vocem, Omnia, apposui; prater peccatum.

MINISTER, hic ex tempore factus est Magister in Theologia; sed suâ; auferre à me mineralaborat; mouet quaesitum; & docet. Age; sim vt Puer Duodennis; quin & infans, vt me diminuis; tu Rabbi esto. QUÆRIS:

An ergo peccata omnia fiant temerè, casu, atque fortuito: & non Consilio, ac Voluntate DEI?

MINISTER ait fieri consilio & voluntate DEI. Suadet t. Ita Ioseph aiebat, Gen. 45. Non vestro consilio; sed Dei Voluntate huc missus sum. Vos cogitastis de me malum; sed Deus vertit illud in bonum. Act. 2. Christus definito Consilio & Prouidentia DEI traditus fuit à Iuda. Act. 4. Congregati sunt aduersus IESUM, &c. vt facerent, quacunq; Manus & Consilium Dei prius definerat.

2. Deus vult peccata voluntate Permissiua; non Approbatiua, vel effectiua, vel complacent. Ita August. in En. h. cap. 100. Ineffabili modo non fit prater Dei voluntatem, quod etiam contra eius sit voluntatem: quia non fieret, nisi sineret; nec vtiq; nolens finit, sed volens. Ita & Suarez: Non fiunt peccata, nisi Deo volente; neq; ipse influit in ea, nisi voluntariè.

3. DEVS peccata non tantum permittit; sed etiam ordinat, determinat, regit, gubernat ita; vt improbi, & diabolus nil mali possint, nisi permittente, volente Deo. Patet in porcis, Mat. 8. Nec plura possunt mala, quam vult Deus: patet in Iobo, cap. 2. Denique malum exit in finem bonum, quem vult Deus: patet in Iosepho, Gen. 50.

August. l. de Gen. ad lit. imperf. c. 5. Vitiourum nostrorum non est autor Deus; sed tamen Ordinator. Idem in Enchir. c. 27. Melius indicabit de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere &c. Quæ omnia non simplicem permissionem indicant, sed etiam aliquid positiui actus Dei. Item August. l. de grat. & lib. arb. c. 21. Operatur Deus in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit: siue ad bona, pro sua misericordia; siue ad mala, pro merito eorum: iudicio suo vtiq; aliquando aperto; aliquando occulto; semper autem iusto.

Ita & Bellar. l. 2. de amill. grat. c. 13. sect. 8. Deus etiam presidet ipsi voluntatibus malis, casq; regit & gubernat, torquet ac flebit, in eis inuisibiliter operando; vt, licet proprio vitio male sint, tamen à diuina prouidentia ad vnum potius malum, quam ad aliud, NON POSITIVE, sed PERMISSIVE ORDINANTVR.

RESPONDEO. 1. Vniuersè: Remitto te Ministro magistrum ad meum Luthero-caluinistam, par. 4. q. 6. An DEVS predestinavit omnium hominum peccata? q. 7. An impellat diabolus DEVS, vt nos ad peccandum inducat. q. 8. An DEVS occulta vi nos moueat, ac necessitet ad peccandum? q. 9. An DEVS operetur nobiscum peccata nostra? q. 10. An DEVS simpliciter sit dicendus autor peccati? q. 11. An DEVS, & an SOLVS sit autor OMNIS peccati? Vide etiam meum Antichristum par. 4. qq. 6. 7. 8. 9. Et Genealogiam Luthero-caluinismi par. 4. q. 5. Istic tua crepitacula ista dissoluta iacent ex Bellarmino, Becano. &c.

RESPONDEO. 2. Vniuersè: DEVS circa hominum peccata facit ista: 1. Non impedit conatum Volentium peccare. 2. Negat eis, gratia destituti, auxilium speciale contra peccatum. 3. Permissiue finit pronos ad peccandum peccatore. 4. Offert subinde peccandi occasionē. 5. Peccata impiorum dirigit ad salutem electorum.

Vnde



Vnde rectè distinguens ait Bell. l. 2. de amif. gra. c. 17. Istud: *DEVS impellit, sine inclinât aliquem ad malum*; intelligi potest quadrifariam. 1. Ut impellat per se, propriè, & physicè, voluntatem immediatè mouendo: aut Moraliter, id est, verè imperando. Hic modus est falsus, planeque blasphemus. Quia ob illud, esset iniquitas in Deo: ob hoc, laudandi, non puniendi essent obtemperantes DEO. 2. Ut, Permissiue sinens peccari, dicatur tropicè quasi ad peccatum excitare & prouocare peccare sponte paratos. Sicut dicitur canem in feram mittere, qui lorum ei relaxat. 3. Ut deserat pios quo ab impijs pati cogantur. Sic vsus fuit spiritu mendace; Rege Assyrio, &c. contra Israelitas.

4. Ut non solum Permittat impios peccare; aut pios deserat: sed etiam præfideat malis voluntatibus, &c. sic, ut recitauit suprâ ex Bellarmino Minister. Verum *Non dando ijs corruptionem; sed ordinem*: ait Hugo: ideo *Voluntati mala vitium est ex ipsa; ordo ex Deo*. Id est, ait D. Thomas in Rom. 9. Deus etiam Positiue inclinât impios, volentes peccare, in vnum; & auertit ab alio; non quidem per se & physicè mouendo voluntatem eorum; quod libero arbitrio præiudicaret: sed OCCASIONALITER, & MORALITER: Sicut medici vtuntur veneno vipere.

RESPONDEO. 3. Singulatim ex hisce ad prædicta Ministromagistralia. AD I. De Ioseph & Christo: AD II. De peccatis à Deo permissis, non tamen ei placitis: AD III. De malis ordinatis à Deo: ac similibus: Mala, inquam, facta, seu peccata, fuisse, esseque hominum, ea patrantium, eorumque liberæ voluntatis: Dei verò eorum Permissionem, Ordinationemque; ad bonum: Habuit quoque in ijs se Deus etiam Positiue; non quidem physicè per se; sed occasionaliter. Id est, sumens ex eis occasionem boni. Sic Romano-catholici & orthodoxi.

At Caluinismus facit Deum malos ad mala necessitantem: vt liquet in meo Luthero-caluinista suprâ citatò. Et tu ais; *Etiam IPSA PECCATA subiaccere Dei prouidentia, & ab illa, VT cætera OMNIA, diuinitus regi*. IPSA PECCATA? cum auctus eorum Entitate? Esto. An etiam Formalitate, malitiaque; voluntatis? Nego horrescens.

RESPONDEO. IV. Tuis ipsis verbis; quæ quia mihi das, reddo tibi. *Quæ ergo hæc tua, Ministro magister, inscitia est, vel potius irrogantia? Sane, nisi inter Theologos nomen tuum profitereris, opinarer te nullam sacrorum codicum partem delibasse vnquam: & quoniam infantem te esse cognosco, aut senem bis puerum, quem Magistrum in Israël esse oportuit. Aure animamque, sedes meis iam dictis, ac notatis accommoda: docuero, quæ didicisse iuuabit, si sapias.*

*Quæ si necdum intelligis, PECCATA, quæ talia, nequaquam subiaccere Dei prouidentia, actiue, & physicè; sed tantum occasionaliter, ea in bonum ordinando actiue, sicque ab illa, VT cætera omnia, diuinitus regi: Non iam Theologis annumerari potes, inter quos Administrum Verbi profiteris; sed ad ima discipulorum subsellia relegandus es, ignare. Nos pergamus. Hæc tua de me erant; iam sunt Tua de te in te regesta verè.*

## AD QVÆST. XXIIIX.

*Quid nobis prodest hæc cognitio creationis & prouidentia diuina?*

MINISTER. Catechesis ait: *Cerò SCIENTES, nil esse, quod nos ab Dei amore abstrahat*: 1. Parochus cortex sic, cerò SPERANTES. *Ecce abstrahat*. 2. Addidit, *Nisi velimus*. 3. Ad hoc catecheticum: *Quandoquidem OMNES creatura ita sunt in eius potestate, vt sine eius arbitrio nil agere, sed ne moueri possint*: addidit Parochus: *Exceptis libero arbitrio præiudicis; ex quibus suum cuique peccatum est, & non ex Deo*.

1. Voce Sperantes, pro Scientes substituta, ructat fidem salutis certam in spem incertam, siue perpetuam dubitationem. Contra Rom. 8. *Certus sum, quod neque mors, &c. nos poterit separare à charitate Dei. Quem locum Parochus intelligit cum Paulo de omnibus fidelibus ac singulis: iraque aperte concedit, quam alias negauit, Certitudinem salutis*.

2. Additio illa, *Nisi velimus*, est inepta & superuacua. Quia Deus nos illuminans, *ex nolentibus facit volentes*; ait Aug. contra 2. epist. Pelag. l. i. c. 9. Facit, vt per viam fidem in charitatem Dei recepti, in ea velimus perpetuo manere, Deo operante in nobis & velle, & perficere; vsq; in diem IESV. Phil. 2. Vbi Aug. *Ve velimus, operatur incipiens Deus; qui volentibus cooperatur perficiens*.

3. Quod addit: *Exceptis libero*. *Ecce*. 1. Hoc est ad idòdo. 29: Quia, Iob. 12. *In manu Domini anima omnis viuētis*.

c 2 2. Est